

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3721

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : bourgeois, Verneuil (ville)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1270, janvier

Lieu d'émission : Montigny

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

En vidimant une charte de Louis [VII], Louis [IX], roi de France, confirme aux bourgeois de Verneuil l'exemption de péage, de tonlieu et de pontonnage.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 771, p. 176.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Universis presentes litteras inspecturis, salutem. Notum facimus quod nos litteras inclite recordationis Ludovici, quondam regis Francorum, genitoris nostri, vidimus in hec verba :

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos, inclite recordacionis Philippi genitoris nostri, quondam illustris regis Francorum, vestiigiis inherentes, concedimus burgensibus nostris manentibus apud Vernolium omnes libertates et consuetudines ad nos pertinentes, quales habuerunt in Normannia, videlicet quittance de teloneo et passagio et pontagio, preterquam in comitatu Ebroicensi, et in Vulcassino Normanno, et apud Paciacum, et in terra que fuit Hugonis de Gornaio ; in Pictavia eciam, Andegavia et Britannia et Cenomania et Wasconia eisdem predictas consuetudines et libertates ad nos pertinentes concedimus. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato confirmamus. Actum apud Britolium anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tercio, regni vero nostri anno primo, astantibus in palacio quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Roberti buticularii ; Signum Bartholomei camerarii ; Signum Mathei constabularii. Datum per manum Guarini Silvanectensis episcopi cancellarii.

Nos vero predicta, prout superius continentur, ad instar predicti genitoris nostri supradicti, burgensibus nostris manentibus apud Vernolium concedimus, et ea, quantum ad nos spectat, volumus observari. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Montigniacum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense januarii.